

angulum, sunt lineæ in plano contactus conceptæ: 3. Hypotenusæ sunt lineæ ex centro globi in terminos basium exeuntes.

Dico quod illæ hypotenusæ inæquales sint, cum respectu perpendicularis, tum inter se invicem. Sunt enim potentie crurum, i. e. quadratum talis hypotenusæ idem potest, quod quadrata cruris simul utriusq.

Idem patet ex inspectione Canonis secantium, quæ nihil aliud sunt quam hypotenusæ respectu radij & tangentium.

V. Probl. Opticum.

An res quæ oriri & occidere dicitur, non tantum videri, sed & revera moveri necessario debeat?

Ortus & occasus alicujus rei, optice loquendo, nihil aliud est quam apparitio & disparitio rei visui propter motum contingens. Non autem ut visus est in oculo solo, ita motus semper est in re Oriente aut occidente. Potest enim etiam oculo inesse, interdum utriq. nonnunquam etiam medio.

Ex. gr. Vulgò quidem stella dicuntur in Horizonte oriri & occidere propter motum suum: Copernico verò ejusq. sectatoribus propter motum terræ adeoq. oculi, ipsis per se immobilibus; non secus atq. poli per se immoti propter motum observatoris à sept. in merid. vel vice versa, oriri & occidere dicuntur.

Propter utrumq. motum stella australis, exem. grat. Canopus, apparere & disparere potest, si scil. spectator tantisper versus meridiem secedat, donec ibi conspiciat dictam stellam, motu suo ex vulgari opinione Orientem.

Ita dicuntur mot. & medij, p. a crepusculi stelle vesperi oriri & manè occidere. Idem illis accidere potest mediante nube.

Ut igitur Optico sufficit causas hujus rei reddidisse à mutatione

tione